SPECIMEN MEDICUM

INAUGURALE.

SPECIMEN MEDICUM
INAUGURALE,

EXHIBENS

OBSERVATIONES QUASDAM THERAPEUTICAS

DE

FIBRA ADSTRINGENDA,

QUOD,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI,

GERBRANDI BAKKER,

Medicinae Professoris Ordinarii,

SENATUS ACADEMICI DECRETO

ET

CONSENTIENTE FACULTATE MEDICA,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS
RITE ET LEGITIME CAPESSENDIS,

Publico Facultatis examini submittit

PETRUS JOHANNES MULLER,

UITHUIZA - GRONINGANUS.

Ad diem VIII Maii MDCCCXXII. Hora XI.

GRONINGAE, *apud*
Viduam B. VAN DER KAMP, *Typographam.*

PATRI OPTIMO,

IOHANNI LEONARDO
MULLER,

MEDICINAE PRACTICO, ET OBSTETRICATORI,

OMNI, QUA FILIUM DECET,

PIETATE ET AMORE

AD ROGUM USQUE

PROSEQUENDO,

NEC NON

PRAECEPTORIBUS ATQUE AMICIS

SACRUM.

SPECIMEN MEDICUM
INAUGURALE,

EXHIBENS

OBSERVATIONES QUASDAM THERAPEUTICAS

DE

FIBRA ADSTRINGENDA.

INTRODUCTIO.

Quemadmodum in tota rerum natura contractio et expansio primas omnium fere virium sustinent partes, ita etiam in corpore nostro magna iis concesfa est potestas. Contractionis et expansionis vires in non organisatis corporibus melius apparent, quam in organisatis vivis, quoniam in illis corporibus agendi ratio magis li-

bera obtinet, dum in his maiores et plures adsunt vires, quae singulae sua operantur ratione, et facile harum virium physicarum actionem moderantur. Inter utrasque, corpore laeta fruente sanitate, aequilibrium adest, nullaque harum virium actio in sensus cadit; eo autem quacunque ratione destructo, atque exsuperante vi contrahente, nimia oritur rigiditas; superata vero vi contrahente producitur diminuta cohaesio, sive laxitas. Nimia rigiditas corpus ineptum reddit ea, quae perficere debet, perpetrandi, vividam diminuit corporis actionem, musculorum agilitatem magis minusve tollit, et nervorum sensibilitatem obtundit. Laxitas vero nimia idem paene, ratione opposita, efficit, etiam corporis actionem et musculorum agilitatem impedit, non vero nervorum sensibilitatem obtundit, sed potius, uti saepe obtinet, eam auget, et plerumque a diminuta virium vitalium actione, atque ab amisfo tono originem trahit.

Cum tamen propositum non sit, de laxitatis causis, aliisque eiusdem conditionibus agere, sed tantummodo, disſertationis loco, conscribere observationes quasdam Therapeuticas de fibra adstringenda, videamus;

1°. Quando revera indicatum sit, laxitatem emendare.

2°. Quando, licet adsit, eam corrigere periculosum esſet, et denique.

3°. Quibus auxiliis emendari posſit.

I.

Cum certus cohaesionis materiae fibrosae gradus vitalitati necesſarius sit, et simul quoque vires vitales cohaesionem, et contractionem fibrarum augeant, patet, intime virium vitalium actionem, et fibrarum contractionis gradum cohaerere, atque vitia unius semper coniuncta esse cum vitiis alteri-

us, ita ut, si adsit nimia fibrarum laxitas, etiam fere semper vitalium virium actio debilitata sit.

Cum autem harum virium actio diversa differat pro varia materiae mixtione, eiusdemque reactione, ita et necesse est, hanc laxitatem differre pro varia corporis humani parte, eamque igitur eandem esse non posse in nervis, musculis, vasis aut ossibus.

Hoc laxitatis discrimen non tantum in diversa materia organica unius eiusdemque hominis obtinet, sed etiam efficitur varia vivendi ratione, temperamento, sexu, aetate, aliisque talibus.

In universum tamen, nullo ad hasce differentias respectu habito, laxitatem adesse dicimus, si partes non satis cohaereant, ita ut nimis a se invicem secedant, et humorum impulsui non bene resistere possint, qui facile elabuntur, et quidem, aucta partium relaxata compage, ob rupturam, quae iam accidit.

Iam

Iam vero tali relaxata conditione fibrae vires eadem ratione diminuuntur, ita ut haec fere non amplius sese contrahere valeat atque vix in stimulos reagat. Aliquando tamen cum tali conditione laxa simul coniuncta est aucta fibrarum irritabilitas, ita ut stimulo applicito vividae, imo non raro in initio vividiores excitentur reactiones, sed quoniam non debitae adsunt vires, hae cito fiunt irregulares, et deficiunt.

Haec relaxata fibrarum conditio non diu adesse potest, quin humores in corpore contenti male adficiantur, eorum motus inordinatus et tardus reddatur, tandemque ipsa humorum genuina indoles depravetur, secretiones et excretiones perturbentur, humores vel elabantur, vel accumulentur.

In initio huius conditionis relaxatae indicatum est, adstringentia exhibere, ut fibrae remotae iterum ad se invicem accedant, ut debita cohaesio, et robur redintegrentur; verum il-

lud in corporibus organicis perfici nequit, nisi eiusmodi auxiliis, quae in vim vitalem agunt; quae res si fauste succedat, mox salutares effectus conspiciuntur; humorum enim circuitus ordinatus redditur, vitia, quae ex motu tardo vel etiam ex stagnatione orta fuerant, emendantur, in secretionibus ut et in excretionibus debitus iterum obtinet ordo; humorum degenerationes, quae sese vario modo manifestabant, corriguntur, et si in iis iam aliqua ad putredinem pronitas daretur, huic obex ponitur], quia talia remedia, quae laxitatem tollunt, simul etiam putredinis nisum curant.

Porro convenit remediorum adstringentium usus, si quaedam evacuationes praeternaturales sistendae sint, si haemorrhagiae, diarrhaeae, aliaeque sint sopiendae, imprimis si periculum est in mora; sin vero non adeo periculum urgeat, potius primo ad causas aliasque circumstantias est attendendum.

II.

II.

Non tamen satis est in emendatione laxitatis fibram adstringere, et corporis structuram firmiorem reddere, sed aliis quoque, licet non semper, secundariis medendum est malis, neque omne laxum semper remediorum adstringentium usum postulat; dantur itaque regulae, et cautelae, quarum observationi in fibra adstringenda rite satisfieri debet.

1°. Accurate est determinandum, quonam in casu fibra laxa tuto adstringi potest; sic si fibra quaedam debita irritabilitate polleat, ita ut stimulo applicito quidem, uti par est, in actum ducatur, sed haec reactio debita careat energia, et cito penitus evanescat, tunc indicata sunt adstringentia, quae hanc collabentem agendi facultatem sustentant, et prudenter administrata tandem iterum erigunt; sin vero in partibus fibrosis etiam a leviori stimulo reactiones nimis impetuosae, et irregulares producantur, uti in sensilibus, teneris, delicatisque obtinet subiectis, praestat prius, impetuosos componere motus, et

nimiam tollere sensibilitatem, quam statim adstringentia adhibere, quibus certe fibrarum tonus restitueretur, sed simul quoque actuositas nimia augeretur.

2°. Saepe indicata sunt adstringentia, si ob laxitatem fibrarum humores susceperint aliquam degenerationem, uti in labe scorbutica, et pituitosa, verum semper prius cogitandum est de humorum emendatione; nam si hic inconsulto ilico adstringentia adhibeantur, saepe malum increscit, et dein omnem respuit medelam, quae tamen feliciter, saltem in scorbuto, obtinet, si et alimenta, et medicamenta aegris concedantur, quae hanc dyscrasiam tollere valent.

3°. Ubi in humoribus evacuandis huius remediorum clasfis usus indicatus est, uti in variis hydropis speciebus, organorum secernentium, et humorum expellendorum status prius bene indagentur, necesfe est. Ita, si humores secretos ex extremitatibus expellere occupatus esfet medicus ligaturis, fasciis,

vel

vel alia ratione, languente interim aliorum secernentium organorum, uti cutis, renum functione, metus erit, ne transeat humor ad aliud, saepe nobilius organon, uti caput, pectus etc., illicque graviora producat mala. Melius itaque erit hoc in casu, si talem velimus instituere humoris secreti evacuationem, prius organorum secernentium languentem incitare functionem, ut humorum facilior reddatur evacuatio.

Sed ita tantum unum sublatum est periculum; humores enim ipsi, nimia secreti copia, ita degenerati, corrupti et viscidi esfe posfunt, ut vasa absorbentia eos recipere nequeant; iam adstringentium usus foecunda malorum mater esfet, nisi prius humores pristinam iterum acquisiverint indolem bonam.

4°. Semper durante adstringentium remediorum usu sedulo perpendendum est, quosnam effectus exserunt in ipsa vasa, et in humores contentos; simul ac enim vasa constringuntur,

et humores ita in minus rediguntur spatium, bene observandum est, num haec strictura fiat universalis, num etiam hic vel illic vasorum relaxata conditio remaneat; si hoc ultimum locum habeat, humores huc ducuntur, et cum impetu ruunt in hasce partes, quae huic impulsui resistere nequeunt, quo facile congestiones producuntur, vel haemorrhagiae, quae saepe ruinam huius partis organicae efficiunt.

5°. Egregie non raro conveniunt remedia adstringentia in cohibendis haemorrhagiis, aliisque profluviis, ut et in relaxata vasorum conditione tollenda. Summa interim opus est attentione; nam ut spectato satisfaciant scopo, bene vasorum conditio relaxata est investiganda.

Satis enim constat, haemorrhagias ut et alias humorum effusiones oriri sub duplici vasorum conditione; vel non tantum ostia vasorum, verum etiam ipsa vasa sunt relaxata; vel ostia tantum laxa sunt, dum in ipsis vasis debita viget

co-

cohaesio, imo saepe maior actuositas, ita ut ob hanc causam, maiori cum impetu, humores ruant in haec ostia, vel etiam in parietes, atque ideo evacuentur. Si prior obtineat casus, internus remedii adstringentis usus vasorum relaxationem demit, et sic haemorrhagias sistere potest. In posteriori casu adstringentia omnino noxia erunt, quia, vasorum cohaesionem augendo, tales evacuationes incitantur. Hic itaque alia ingredienda est via, ut tollatur vasorum nimia actuositas.

6°. Laxitati haud pauci originem debent humorum effluxus, qui, licet morbosi sint, ob longam durationem ilico tolli nequeunt, quia natura iis assuefacta est. Tali in casu caute cum adstringentibus versandum est, ne corporis adducant exitium. Durante igitur adstringentium usu accurate circumspiciat medicus, num etiam pectus afficiatur, num capitis accidat obnubilatio, aut alia perniciosa mala oboriantur.

7°.

7°. Saepe laxitas, eiusque vitia omnem recusant medelam, quamvis haec omni cum cura administretur; hoc in casu noxium erit, hisce remediis ulterius continuare, cum illud dependeat a tali conditione organorum, et humorum, quae hanc stricturam non patitur; nam saepe organa, imprimis abdominis, alio adhuc laborant vitio degenerationis, vel indurationis, quod tali medendi ratione augetur.

Licet hae cautelae semper rite sint observandae, tamen in casibus, ubi periculum grave adest, illudque singulo momento increscit, statim, omnibus postpositis cautelis, adstringentia exhiberi debent, ne aeger nimia medici anxietate pereat.

I I I.

Consideranda iam sunt auxilia, quibus laxitas emendari potest; antequam autem cum ipsa horum auxiliorum consideratione incipiam,

quae-

quaedam universalia circa eorum operandi rationem notanda sunt.

Nonnulli putarunt, medicamenta adstringentia intus adsumta a vasis chyliferis resorberi, atque ita in sanguinem translata, ubique cum eo per totum corpus dispergi, et tunc demum salutares suos exserere effectus. Huius opinionis veritatem demonstrare conati sunt variis medicamentorum adstringentium principiis in sanguine, vel in urina illorum, qui talibus usi fuerant remediis, inventis; quin etiam carne et lacte variorum animalium, quibus adstringentes substantias dederant, sapore et qualitate adstringente imbutis; tandemque, ut suae opinioni maiorem tribuant verisimilitudinem, adferunt, ferrum in variis plantis esse inventum.

Alii e contrario solam hisce medicaminibus actionem concesserunt dynamicam, quam in ventriculi et intestinorum tunicas exserunt. Tali enim celeri, uti aiunt, modo agunt in

par-

partes remotas, illicque tam cito constrictionem et contractionem producunt, ut minime de absorbtione, et de longa hac via, quam transire deberent haecce medicamenta, sit cogitandum. Porro negant, vasa chylifera posse recipere principia tali vi adstringente praedita, putantes, aeque ac in ore ab iis constrictionis sensus producitur, etiam horum vasorum oriri constrictionem.

Alii deniqne cogitarunt, haec remedia solummodo vi sua adstringente et roborante agere in ventriculi functionem, ita ut haec semper perturbata, si adstringentibus opus sit, restitueretur; cuius emendatae functionis salutares effectus in totum redundarent corpus, et ita pristina restitueretur sanitas.

Triplicem hanc remediorum adstringentium operationem simul obtinere, recentiores permulti non absque verisimilitudine adsumsisse videntur; Ista nempe in ventriculum atque intestina agere adstringendo et roborando, ac simul dynamica

ra-

ratione illorum actionem propagari, dum etiam absorbtio eorum obtinet admodum probabilis.

Princeps adstringentium medicamentorum principium, quod praesertim hanc qualitatem exserere videtur, peculiaris est materia, a recentioribus detecta, et *Tannin* vocata, quae, quemadmodum corium condensat, ita in corpore organico vivo sese cum gelatinosa substantia iungere, eamque indissolubilem reddere videtur, dum ipsa fibra, hac materie orbata, firmior cohaeret.

Hisce absolutis iam ad ipsorum medicaminum adstringentium contemplationem transeundum est. Inter haec, praeter externam mechanicam compressionem, et sustentationem, quae in hijdrope, haemorrhagiis aliisque malis haud raro eximium effectum praestare solet, primo appellanda sunt *calor* et *frigus*, quae tot egregias, in adstringenda fibra et sistendis nonnul-

lis

lis profluviis, adferunt utilitates, (quod inprimis de frigore rite administrato valet) ut non possum, quin ea commemorem.

Caloris administratio, ut adstringens, utilis est in subiectis valdequam relaxatis, et torpidis, quibus stimulus ille gratus est, inprimis si undique corpori applicetur.

Iste vero calor non humidus esse debet, ne potius relaxationem augeat, atque, si fieri possit, aeger aëri sicco et calido, radiis solaribus exponendus est, nam tali modo optime tollitur hoc vitium.

Frigus, pro tempore corpori sano applicitum, virium vitalium actionem excitat, tonum amissum restituit, fibras roborat, easque constringit; si diutius nimis applicetur, tunc corpus durum et insensile reddit. Alia longe res est, si corpus morbosum frigori exponatur; si nimia fuerit actio, aut

si

ei symptomata, ad quae sedanda administratum fuit, ex nimia orta sint actione, tunc ea compescuntur, et optatum efficit solatium; sin autem corpus sit debile, nunquam frigus applicari debet, nisi in casu desperato. Frigus enim vires vitales supprimit, fibrae contractionem diminuit, adeoque laxitatem augere debet.

Quisque iam facile intelligit, quibus in casibus frigus conducere potest; si nimirum laxitas cum aucta actuositate coniuncta sit, si motus adsint abnormes ac impetuosi, laudandum admodum est, quia valdequam tonum fibrarum auget, et incitabilitatem nimiam sopit. Praeterea calorem, hic saepe exsuperantem, diminuit; ergo stimulum, hoc in casu adeo nocivum, demit, et simul eius vires expansivae compescuntur, quibus fibra a fibra removebatur.

Licet frigus tót tantaque adferat levamina, tamen cavendum est, ne nimis diu administre-

tur, atque sic noxium evadat. Frigoris applicatio quoque utilis deprehenditur in cohibendis haemorrhagiis; si hae sint activae, fere semper iuvabit, nec non si hae potius continuent ob topicam ostiorum, quam ob universalem vasorum actuositatem, interne simul excitantibus adhibitis medicamentis; utriusque enim actione opposita destructum in systemate vasculoso aequilibrium restituitur. In haemorrhagiis pasfivis nocebit, neque raro conveniet eius applicationem alternare cum excitantibus, ne pravae contingant sequelae. Frigus denique, si extus applicetur, humores ad interiora pellit, quo facile cor, et vasa maiora sanguine obruuntur, et periculosa producuntur mala, quae, si horum metus sit, praeveniri debent venae sectione aliisque remediis derivantibus, inter quae balnea extremitatum calida non infimum tenent locum, quae etiam utilia sunt, si talis revulsio indicata sit in apoplexia, capitis vulneribus caeterisque.

Pro-

Pervenimus iam ad proprie sic dicta adstringentia, de quibus in universum quaedam dicenda sunt, et quidem primo de iis, quae ex regno minerali petuntur.

Acida Mineralia.

Acidum sulphuricum, *muriaticum* et *nitricum*. Omnia, praeter communem adstringentium proprietatem, peculiari vi antiseptica pollent, non excitant, sed potius irritabilitatem, et sensibilitatem nimiam sedant. Ubicunque igitur tonus fibrarum est restituendus, laxitas corrigenda, nisus ad putredinem emendandus, et motus abnormis sedandus, conveniunt. Praeterea si haemorrhagiae, praesertim passivae, aliaeve evacuationes nimiae cito sistendae sunt, optatum praestant effectum, dummodo non adsit dispositio inflammatoria, quae eorum administratione augetur.

Nimiam autem aliquando producunt constrictionem, et hanc ob causam saepe in febribus putridis, quibus diarrhaea sese iungit, hanc

alvi evacuationem augent; attamen illud notandum est de *acido muriatico*, quod minus in alvum agat, quare illud tutius in febribus tijphoideis putridis, si diarrhaea colliquativa adeo hic reformidanda adsit, propinatur, quam caetera acida mineralia. Semper tamen prudenter sunt adhibenda, et sufficiente aquae quantitate diluta, alioquin corporis structuram nimis arripiunt, mucum organa tegentem solvunt, et sensibilitatem augent; quam ob rem etiam minus conveniunt, si magna adest sensibilitas organorum, quae transeunt, et haec muco orbata sunt; caeteroquin in affectionibus scorbuticis, humorum dyscrasia, aliisque multis conditionibus conveniunt, de quibus tamen hic sermo non instituendus est.

Inter coniunctiones acidorum mineralium cum aliis eiusdem regni substantiis, vi adstringente praecipue pollent ea, quae cum acido sulphurico parata sunt, uti V. C. *sulph. alum. acidul.*, *sulph. ferri*, *cupri* et *zinci*, dum *sulph. plum*-

plumbi nimis periculosum, et aqua insolubile est, quare vix adhiberi potest. Primum remedium, *sulphas* nimirum *alum. acidul.*, externe adhibitum valide refrigerat, et adstringit. Speciatim hinc additur collyriis adversus oculorum inflammationes serosas, imo nonnulli hunc in finem eum praeferunt prae *sulphate zinci*, et *acetite plumbi*; praeterea in vulnerum laxitate aliisque convenit. Interne adhibetur ut potenter adstringens ad cohibendas haemorrhagias, serique praeternaturales fluxiones, ad laxitatem praecipue intestinorum emendandam, et magni usus est, si ob nimiam sensilitatem *acidum sulphuricum* dari nequit.

Sulph. ferri maiorem vim adstringentem possidet, hinc in summa laxitate, et humorum valde degenerata indole, uti in rachitide, chlorosi, et cachexia magnam meretur laudem.

Sulph. cupri, venenum illud teterrimum, valde adstringens, nauseam, vomitum, dolores colicos, aliaque dira excitat symptomata;

potius externe adhibetur aqua solutum, in haemorrhagiis, ulceribus sordidis et putridis emendandis.

Idem dicendum est de *sulphate zinci*, quod ad ulcera exsiccanda sese valdequam commendat, et ideo varia ingreditur emplastra et unguenta.

Metalla.

Oxyda et *protoxyda metallorum* varia, hac virtute etiam donata sunt, ut ferrum, cuprum, plumbum, et zincum.

Ferrum, unicus ille omnium metallorum naturae humanae amicus, egregium nobis praebet medicamentum, quod vires erigit, tonum restituit, corporis laxam et torpidam constitutionem emendat, secretiones et excretiones languentes excitat, nimias moderat, irritabilitatem et sensibilitatem fibrarum nimiam sedat.

Hisce suis virtutibus utile admodum esse, quis est, qui non intelligat? Varia etiam eius prostant praeparata, quae magis minusve roborant, adstringunt, aliaque aegris adferunt solatia, quo-

rum

rum omnium recensio huius speciminis limites nimis excederet.

Cito nonnulla operantur, et incantamenti instar, si rite indicata sint, saepe scopo satisfaciunt. Si statim ob grave periculum requiritur adstringens quoddam, quod non tantum potenter in primas vias agit, verum etiam in partes remotas, vel si cito quaedam gravis accidit haemorrhagia, v. c. uteri, quae singulo momento crescit, et mortem inducere valet, quis non recordatur medicaminis illius adeo efficacis in prohibendis haemorrhagiis, *muriatis* nempe *ferri liquidi?*

Ubi vero minus periculum in mora latet, atque simul humorum dyscrasia adest, sapientius erit, eam prius emendare, ne, si talis potuisset curatio institui, futura mala perverso regimini adscribantur.

Cupri praeparata externe, ut adstringentia, cum successu adhibentur, in ulceribus scorbuticis oris aliarumque partium, et unguen-

ti forma plerumque administrantur. Interne vix in usum vocantur, nisi *sulphas cupri ammoniacale*, quod summis celebratur encomiis in curanda epilepsia, imprimis si aegrorum habitus simul sit debilis et laxus, nec non in chorea sancti viti, variisque spasmodicis adfectionibus. Non tamen hic ceu adstringens agere videtur, sed specifico modo in systema nervosum, quamvis eius actio nondum bene perspecta sit. Incipiendum est a parca dosi, sensim augenda. In initio saepe nauseam vomitumque excitat, qui, quum effectus sit medicamenti venenati, suadet, ut prudentissime procedamus.

Plumbi praeparatis externe, lotionis vel unguenti forma, adstringendi scopo utimur adversus ambustiones, inflammationes cutaneas, oculorumque humidas. Interne valde laxitatem corrigunt, et simul sensibilitatem tollunt, sed ob hanc qualitatem eius usus continuatus magnopere metuendus est, nam ita saepe sensibilitatem tollit, et paralysin producit. Interim si

ri-

rite indicata sint, non tam cito hunc videntur exserere effectum, et aeque ac *murias hydrarg. oxydul.* in inflammationibus minus cito salivationem producit, nam eorum actio videtur sese magis determinare ad malum, cui medendum propinabantur. Prudenter tamen adhiberi debent, constituunt enim revera periculosum venenum, quod facile colicam pictaviensem producit, vel si non statim noceat, postea vehementer obest, paralysin, tremores, et phthysin siccam generando. Ubi tamen cito est adstringendum, uti in haemorrhagiis, haemoptysi, caeterisque maxime prosunt; praesertim istud praeparatum, quod sub *acetitis plumbi* nomine venit, commendatur in phthysi ulcerosa, ut puris secretio moderetur, et inflammatio passiva tollatur; licet pro tempore saepe phthysicis solamen adduxerit, tamen phthysin conclamatam eo posse curari, experientia non confirmatur.

Abhinc multis annis *flores zinci*, ut egregium medicamen externe repellens, erysipelati, et speciatim quoque inflammationi oculorum oppositum, cogniti fuerunt, dum quoque fibram adstringunt et laxitatem tollunt. Interne ceu remedium adstringens nunquam tentari debent, ut enim hunc praestent effectum, nimia dosi adhibeantur, necesse est. Alia tamen, et magni existimanda, pollent virtute, qua tam egregie conveniunt in morbis nervorum convulsivis, nimia simul peccante sensibilitate, mitigant nempe motus abnormes absque ulla incitatione. Olim magno vendebantur pretio, ut arcanum et epilepsiae specificum, sub nomine *lunae fixatae* LUDEMANNI. Semper prudenter est adhibenda haec medicina, ab exiguis incipiendum est dosibus, quia facile vomitum excitant.

Antequam medicaminum ex regno minerali omittam considerationem, de terrae quibusdam speciebus nonnulla dicenda sunt.

Ter-

Terra bolaris, seu terra argillacea cum aliqua oxydi ferri quantitate praedita, absorbere videtur humores, ideoque augere adstringentium medicamentorum effectum. Licet olim magnam acquisiverint laudem, et illius temporis medici putarint, vix ullum curari posse morbum chronicum absque hisce remediis, tamen hodie eorum usus paene eviluit. Sed immerito; ubi scilicet cum intestinorum laxitate quaedam datur primarum viarum acrimonia, insignia saepe producunt levamina, absorbendo acrimoniam, et corrigendo laxitatem.

Calx vires possidet quodammodo adstringentes, absorbentes, septicas.

Interne aqua soluta in usum vocatur, inprimis illic, ubi simul acidum corrigere debet. Porro laudatur in diarrhaeis, post bene purgatas primas vias, et aliquando, reliquis nihil iuvantibus, solamen attulit; deinde in fluore albo, nephritide calculosa aliisque morbis. Semper ta-

tamen in eius usu interno prudens sit medicus ob qualitatem suam septicam, qua facile humorum degenerationem efficit, neque unquam adhiberi debet, si iam talis degeneratae indolis adsunt indicia.

Externe quoque laudatur in ulceribus scorbuticis, in clysmate adversus ascarides, pro lotione ad praeputium et glandem abluendum, ut illorum infectio venerea, in eam timentibus, praeveniatur.

Regnum vegetabile.

In hoc regno multae prostant substantiae, quae vi adstringente, cum aliis haud raro copulata virtutibus, pollent, Primo hic nominandi veniunt *succi fructuum immaturi*, qui vires admodum constringentes posſident, ita ut ore introducti suam mox edant vim adstringentem, producendo ingratam admodum constrictionem. In laxis itaque constitutionibus conducunt, nec etiam contraindicantur humorum disſolutione, sed potius eam emen-

emendant, hinc, si talis adsit dispositio, vel ubi molesta symptomata ex hac causa oriantur, uti diarrhaea, expediunt.

Acida vegetabilia.

Haec acida partes glutinosas et gelatinosas solvunt, adeoque laxitatem continuato usu augent, sed una vice in casu ancipiti, ubi non meliora alia praesto sint remedia, ut in haemorrhagiis passivis, ob subitam quam efficiunt vasorum constrictionem, non omni distituta sunt utilitate.

Excellunt praecipue ex hoc regno virtute adstringente ea remedia, quae acido gallaceo et principio *scijtodepsico* instructa sunt. Nonnulla simul habent vires excitantes, nonnulla involventes, alia roborantes, antisepticas alia. Inter haec enumeranda sunt *gallae quercinae*, quae morsui cuiusdam generis insectarum originem debent, *cortex granator. salicis. alb.*, *hippocast.*, *radix torment.*, *bistortae*, *lapathi acuti*, *lignum campechense etc.* Satius saepe erit

ea

ea medicamina mucilaginosis sociata, aut spirituosis soluta, aegris administrare, ut facilius et melius ferantur.

Praeterea ex hoc regno petuntur substantiae *gummoso resinosae*, simul adstringentibus coniunctae dotibus, quarum praecipua est *gummi Kino*. Illud remedium, cum resinosa et gummosa polleat qualitate, spiritu aqua diluto solvitur, ut sic utrumque illud principium in hoc vehiculo solutum sit, quo eius usus praestantior et tutior evadit.

Porro cum ob fibrarum irritabilitatem, muci defectum, vel humorum dyscrasiam, pura non raro noceant remedia adstringentia, benigna natura tale nobis suppeditavit medicinae adstringentis genus, in quo nimirum mucilaginosum simul residet principium, quod valdopere expedit in diarrhaeis, dysenteriis, et pulmonum aliorumqne organorum vitiis, ex debilitate, et sensibilitate exsuperante, ortis.

Pri-

Primas horum medicaminum partes agit *succus catechu*, qui fere omnis in aqua solvitur, et in tusſi e laxitate atque in catarrhali dispositione utilis valde deprehenditur; porro *lichen cocciferus* in tusſi convulsiva, *viscum quercinum*, ac *lythrum salicaria* in diarrhaeis praesertim commendata sunt.

Alia quoque in hac classi prostant remedia, quae, cum leni adstringente substantia, fragrans quoddam principium, nervis gratum continent, et adstringentia balsamica nuncupantur.

Valde conveniunt in laxitate irritabili, ad convulsiones disposita, in profluviis praeternaturalibus, atque congestionibus ex hac causa. Huc pertinent *flores ros. rub.*, *herb. millefolii*, *agrimon.*, *hijperici etc.* Quae insignes exserunt vires in uteri secretionibus auctis, haemoptoe, aliisque sedandis.

Ad hanc denique clasſem referendae snnt variae vini species, ut *vinum rubr. austerum*, praesertim illud quod *pontac* appellatur, *vinumque Hispanicum.*

In

In subiectis debilibus, et torpidis, vino non assuetis, magnas praebent utilitates, ubi diarrhaeae aliive fluxus, imo et sanguinei sunt compescendi. *Spiritus vini* sive *alcohol* sincerus multas quoque possidet dotes adstringentes et excitantes. Externe egregie relaxatas firmat partes, earumque vitia emendat; interne praeterea aliis adstringentibus aptum est vehiculum.

Omnia haec remedia quaeque suo modo agunt, laxitatem magis minusve emendant, simul eius sequelas saepe tollunt, et horum medicaminum usus sub debitis cautelis magno aegrorum numero pristinam restituit sanitatem. Sin autem nimis adhibeantur, tunc praeter modum adstringunt, rigiditatem inducunt, fibram torpidam reddunt, et incitabilitatem diminuunt; deinceps organorum secernentium functio impeditur, sanguis difficilius motum suum circulatorium absolvit, et facile stagnationes atque indurationes producuntur. Prudenter in

pri-

primis haec adstringentia medicamenta adhibenda sunt, si aegrorum constitutio sensilis, fibra gracilis, et humorum indoles valde degenerata sit, ne praepostero usu, uti inprimis vegetabilibus quibusdam accidit, febris excitetur, qua vires magis magisque pessumdantur, vel huic febri pabulum subministretur, quemadmodum illud observamus in febre hectica, si ad laxitatem, iam obviam, talem velimus adhibere medicinam.

Praeterea raro sola haec sufficiunt, ut aegrorum laxam corrigamus compagem, nisi simul diaëta observetur bona, et aegroti sese tradant regimini apto; aër enim, in quo degunt, sit siccus, purus, apertus, et si fieri possit apricus, sese abstineant a somno nimio, et decubitu molli, animi et corporis grata ac congrua adsit exercitatio, denique cibi et potus sint eupepti, et nutrientes. Quodsi nimis gulae, atque vitae commoditatibus indulgeant,

ani-

animum nimia cogitatione, aut illicitis vexent phantasiis, et corpus exhauriant, vanum erit omne remedium.

T A N T U M.

THESES.

I.

Si adstringentia adhiberi debeant, semper prudentis medici est, dato casui maxime adaptata eligere.

II.

Licet frigus optimum sit adstringens, tamen calor eosdem in nonnullis casibus producere potest effectus.

III.

THESES.

III.

Nullum sine insomniis dari somnum, non credimus, neque insomnia requiri ad vitam sustentandam.

IV.

Conaesthesin, sive perceptionem communem vulgo in systemate sympathico obviam esse, ut nonnulli opinantur, sed si adsit somnus magneticus, in nervo vago adesse, statuimus.

V.

Licet senes, et infantes somnum ineant ex diminuta incitabilitate, tamen huius defectus causa apud utrosque est diversa.

VI.

VI.

Inflammationes oculorum saepe esse passivae naturae, defendimus.

VII.

Febris hectica semper alterius morbi est sequela.

VIII.

Virus syphiliticum non differt quoad naturam ab ea materia, quae gonorrhaeam producit.

IX.

Stricte dicta emmenagoga raro, si unquam, debent adhiberi.

X.

X.

Venae sectio, quamvis generatim noceat gravidis, tamen aliquando institui debet, ut consuetudini satisfiat.

XI.

In casu ancipiti praestat venae sectionem instituere, quam ab ea abstinere.

XII.

Narcotica semper excitant.

XIII.

Folia sennae non promiscue cum acidis sunt praescribenda.

THESES.

XIV.

Ad paranda infusa vel decocta cuiuscunque generis semper debet adhiberi aqua antea cocta.